Toletano proregis Neapolitani filio, donauit, & simul cum reliqua eius dote numerari uoluit: rem præclaram sane, excelsiq;, & liberalis animi, nec horum temporum, aut morum. Hæc habui, quæ de tanti uiri studiis, moribus, actionibus uerissime commemorarem, quæ quidem meæ, & eorum, qui hæc legent, utilitatis causa potissimum collegi, non quòd ad eius nominis gloriam, quæ per se clarissima est, meis scriptis addi quicquam posse confiderem. Ac si quis animo totam eius uitam percurrat, & diligenter secum reputet, quàm multas ille calamitates, & labores Ecclesiæ causa pertulerit, is, credo, facile eum in numerũ Christi martyrum ascribet. cui sit honor, & gloria in omnes æternitates.

FINIS.

Toletano proregis Neapolitani filio, donauit, & simul cum reliqua eius dote numerari uoluit: rem præclaram sane, excelsiq;, & liberalis animi, nec horum temporum, aut morum. Hæc habui, quæ de tanti uiri studiis, moribus, actionibus uerissime commemorarem, quæ quidem meæ, & eorum, qui hæc legent, utilitatis causa potissimum collegi, non quòd ad eius nominis gloriam, quæ per se clarissima est, meis scriptis addi quicquam posse confiderem. Ac si quis animo totam eius uitam percurrat, & diligenter secum reputet, quàm multas ille calamitates, & labores Ecclesiæ causa pertulerit, is, credo, facile eum in numerũ Christi martyrum ascribet. cui sit honor, & gloria in omnes æternitates.

FINIS.

CONCIO Funebris in obitum

Augustæ memoriæ Ferdinandi Cæsaris recens defuncti, in celeberrimo procerum ac magnatum conuentu Londini in Ecclesia Cathedrali D. Pauli habita. Octob. 3. Anno 1564. per reuerendum D. Episcopum London. D. Edmundum Grindallum.

Ex Anglico, in Latinum conuersa, Per Ioan. Foxum.

BIBL. CANT. ACAD.

Excusum Londini, per Foan. Dayum, Typographum.

Cum Priuilegi.

An. 1564.

847:96

Concio funebris in obitum

Augustæ memoriæ Ferdinandi Cæs. in celeberrimo magnatum conuentu Londini in Ecclesia Cathedrali D. Pauli habita. 3. Octob. An. 1564. Per Reuerend. D. Episcopum London. D. Edmund. Grindallum. ex Anglico in Latinum conuersa.

PER IOAN. FOXVM.

Preces pro ecclesia vniuersali, pro eccles. Anglic. & Hibernica, pro Maiest. Reg. cæterisq; regni statibus solenni ex more primum habitæ sunt.

Matth. 24.

„ Ideo & vos estote parati: quia qua hora non putatis
„ ea filius hominis venturus est.

INter tot tantasque humanæ naturæ labes atque corruptelas, quæ peccato deprauatos nos vndique circũstant mortales, haud alia profecto lues (viri honorandi charissimiq; in Christo proceres) grauior mihi aut capitalior esse videtur, quæ vel nocentius lædat, vel latius suũ spargat virus, quã improba spes, ac vanissima illa, qua falso sibi pleriq; omnes ferè mortales blandiũtur, vitæ diuturnæ fiducia. Atque hoc morbi genus tot modis per se pertinax ac nocens, multo etiam nocentius hoc ipso redditur, quòd infixis altissime radicibus, ita mentibus prorsus inhæret nostris, ipsisque quasi venis intime insidet vt nullis fere medicamentis euinci queat. Quod quàm verum certumque sit, non solum ex communi vitæ vsu & experientia certissima rerum magistra constare poterit, sed etiam ex crebro hominum sermone iactatis prouerbiis & sententiis, quibus sic vulgo passim prædicari consueuit: Quippe nemo, inquiunt, tam senex est, qui non putet annum

Exordium a sententia.

se posse viuere: Quique deinde vbi eum annum expleuerit, adhuc non alterũ speret, quin tertium insuper & quartum, sicq; in infinitũ porro spẽ atq; expectationem porrigat, nunquam faciens expectandi finem, donec tãdem morte ipsa citius opinione oppressus, viuẽdi prius, quàm sperandi finem faciat. Eodem accommodari potest, & altera huic non dissimilis prouerbii vice vsurpata sententia, qua, ægroto dum anima est, tãdiu spes esse dicitur: Innuente id nimirum paroimia, inter ægrotantes nullũ esse, qui ita laboret capitaliter, aut decumbat periculosè, quin idem aliqua inani opinione, cupiditateq; vitæ protrahendæ immoderata afficiatur. Vsque adeo tenax hoc malum intimis infixũ medullis nos totos occupat, vt nulla vel senecta vsqueadeo exhausta & sit capularis, mortẽ iam imminentem cursu ipso naturæ prænuncians, nec morbi genus tã letale ac periculosum, quod intẽperiem hanc immodicam ac spem inanem, diuturnæ vitæ ac longæuitatis ex animis excutiat nostris, quoad quicq̃ vitalis spiritus trahatur, aut vitæ scintilla minima supersit. Atque adeo ex inanissima hac longæuitatis opinione, quã sibi falso conceperunt mortales, tanquam ex male fœcunda stirpe, plantaria surgunt pessimorum fructuum: Hinc enim carnis securitas, hinc christiani officii omnisque pietatis neglectio, hinc carnis illecebræ, ac voluptatum effrenata auiditas, hinc verbi contemptus, hinc extincta omnis ferè cœlestium rerum cura ac meditatio, hinc denique in melius corrigendæ vitæ tanta procrastinatio de die in diem, donec tandem inexpectata morte præoccupati alti soporis ac securitatis suæ pœnas luant, in damnationis barathrum prius præcipitati, quàm cogitarant. Quamobrem sanando huic tanto naturæ nostræ vulneri commodè comparatum à diuina prouidentia remedium est, quod bifariam nobis spia

Periculosa viuendi fiducia.

bis ſpiritus ſanctus in ſacris dei literis propoſuit.

Quorum alterum in terribili ſeueritate diuini iudicii verſatur, quam paſsim nobis indubitata diuinę ſcripturæ oracula, certiſsime prænunciant ſupremo illo affuturã die, quo dominus ipſe cum voce & hortatu Archangeli ac tuba dei de cœlo deſcendet, redditurus vnicuiq; iuxta facta ſua, ſecundum id quod geſsit in corpore, ſiue bonũ ſiue malum. Pręter hanc porro inuitabilis iudicii ſeueritatem, quæ merito nobis poſsit terrorem incutere, accedit inſuper, quod nec minus nos ad vigilantiam excitare debeat: nempe quòd eum ipſum iudicii diem non tam ſeuerum quàm etiam incognitum nobis eſſe diuina voluit ſapientia.

Duo remedia contra vitæ fallacẽ ſecuritatem.

Primũ remedium.

Aderit enim atque inſiliet nobis nec opinantibus (admonente nos toties ſcriptura) dies illa quemadmodũ nocturnus clam obrepit prædo, inſtarq; laquei auiculas ex improuiſo irretientis, nec ſecus atque fulgur emicans ab oriente raptim aduſq; occidentẽ peruolat, perinde repentina eius iudicii dies ſubito nos adorietur, certiſsimum his exitium allatura, quoſcunq; imparatos offenderit.

Matth. 24. Luc 21.

Altera vero remedii pars in earum admonitionum recordatione, & diligenti pertractatione ſita eſt, quæ in ſacris ſcripturis frequentiſsimæ, nunquam nos fragilis noſtræ ac vitreæ conditionis obliuiſci ſinunt, quin ſubinde nobis memoriam refricent mortalitatis noſtræ, mortiſq; admoneant, quæ ſemper inſidians capitibus noſtris, nemini hanc vitam perpetuam, imo ne diuturnam quidem eſſe permittit: verum celeriter ac ſæpe etiam ſubito, ad incertæ huius vitæ exitum nos certiſsime perducit. Habetis itaque duo hæc, quæ dixi, remedia in ſacris dei ſcripturis expoſita, quibus expergefacti ex lõga obliuionis lethargia, admoneamur noſmet tandem parare ad vigilantiam.

Secundum remediũ.

De vtriſque, quæ attigi, remediis cogitandi materiam mihi non incommode præbet hic ipſe euangelii locus (quem nunc in manibus habeo) pro concionis themate, deſumptus videlicet ex verbis domini. Math. 24. in cõcione quadam ipſius celebri, quam olim in monte Oliueti vna cum diſcipulis conſidens, rogatuſq; de extremi ſui aduentus tempore, habuit tum apud ipſos de eadem re, cõcludens demum in hæc verba: Ideo & vos eſtote, inquit, parati, quia qua hora nõ putatis ea filius hominis venturus eſt, &c. Eandemque ſententiam, tãquàm ſalutare aliquod pharmacum, quo magis ſuorum animis commendaret, & memoriæ imprimeret, ſemel atque iterum repetita vice ingeminat: Vigilate itaque quia neſcitis, inquit, qua hora filius hominis vẽturus eſt, &c. Audiſtis adhortantis concionem, aduertamus nunc concludentis verba: Ideo, inquit, parati eſtote. At quamobrem tandem parati? Agnoſcitis, ſcilicet concluſionis vocabulum, ex iis dependens quæ præceſſerunt. Præceſſerat enim ſimilitudo, quæ hanc inducat periochen: Quia, inquit, ſi pater familiàs præſciſſerat qua hora nocturnus fur in ædes ſuas irrupturus eſſet, aduigilaret, nec domum perfodi pateretur. Ideo & vos, inquit, eſtote parati ac ſi diceret. Si tanta cura ac ſtudio aduigilent homines metu nocturni perfoſſoris, in re pecuniaria conſeruanda, ac ne bonis huius ſeculi fluxis & caducis ſpolientur, quæ quantumlibet adſeruata ad temqus, nõ poſſunt demũ tamen non perire: quanto maiore ſtudio vigilãtiaq; cauere oportet, ne ſtertentibus vobis ſubito obrepat tremendi huius iudicii dies: & vos in peccato & iniquitate indormiſcentes tanto potiore theſauro expoliet, quanto maiore ſit emptus pretio non auro videlicet aut argento, ſed pretioſo ſanguine immaculati agni, Chriſti videlicet ſeruatoris. Quanquàm itaque locus hic

Math. 24.

1. Pet. 1.

Euangelij, in quo nunc versor, eo proprie quidem spectare videtur vt nostram excitet somnolentiam, præparetq; ad extremi iudicii expectationem: Nos tamen in præsentia ad suam cuiusq; nostrum mortem, præcogitandam sigilatim accommodare decreuimus: vel quia præsentis huiusce temporis ita nos admonet occasio, vel quia etiã, in vtrãcunque accomodetur partem, perinde est, ac eodem recidit, quemadmodũ diserte testatur his verbis Augustinus: In quo quẽq; inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum compræhendet mũdi nouissimus dies: quoniã qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. Atque ne in multis vaga diffluat oratio adducti huius scripturæ occasione, ad tria potissimũ capita cõtrahemus vniuersum sermonem. August. ad Hetych. Epist. 80. Distributio in tres partes.

Ac primum de his scripturæ locis agere decreui quæ nos de præparatione ad mortem, instituunt. 1

Secundo, quæ causæ sint, quamobrem ad mortem præparare nos debeamus, explicabitur. 2

Tertio, qua via, quaque potissimum ratione hanc fieri præparationem oporteat, aperiemus. Atque interim earum etiam rerũ quæ ad præsentis actionis nostræ causam attinere videbũtur, nonnihil obiter quasi per digressionem attingemus. 3

Primum diuisionis caput.

Quod igitur ad primum attinet: sicut hoc in loco dominum audimus admonentem his verbis: Parati estote, &c. consimilem in modũ & aliàs frequentes in scripturis suppetunt eiusdem sentẽtiæ loci, quibus dominus ad eundem modum nostram excitat tarditatem, veluti. Luc. 13. Vbi Christus nos similiter admonens: Sint, inquit, lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus vestris, &c. Quo nimirum præcingendi vocabulo præmoniti in vniuersum omnes, ad carnis & mundanorum affectuum mortificationem instruimur.

De præparando ad mortem, admonitio.

Quem-

Quemadmodum rursus & tedæ in manibus ardentes, lucem designant fidei & Christianæ conuersationis, quæ fidem, ceu comes inuidua, haud vnquam deserit: Nec dissimili exhortandi genere nos item commonefacit D. Petrus ita monens: Sobrii estote, & vigilate in orationibus, his nimirum verbis subindicans, moderatam victus rationem, temperantiam, vitæq; continuo tenore seruatam sobrietatem, vigilantiam, & assiduas precatiões, ac cœtera porro eius generis pia exercitia, animi vigilantis, & aduersus mortem, ac supremum mundi diem probè parati atque instructi indicia esse certissima. Quid multis? Vsqueadeo plena est est hortamentis huiusmodi scriptura cœlestis, quibus tam expressè tãq; dilucide nos instruit atq; præmunit aduersus repentinã mortis violentiã, vt superuacaneũ fuerit diutius in hac in tractationis parte commorari.

Secundũ diuisionis caput.

Quamobrem vt ad secũdum diuisionis caput progrediamur, cum aliæ cõplures concurrunt causæ, tum duæ potissimũ inter cæteras occurrunt, quæ nos necessario singulos (nisi plane in saxorũ duritiã perstupuimus) adigũt, vt omni adhibito studio, mẽtis cogitationem omnem ad mortis præparationẽ referamus. Quarum prima est, mortis ipsa necessitas inexorabilis. Altera porro incerta illius accessio, & hora incognita. Ac de necessitate quidem mortis ineuitabili, satis explicatè ab Apostolo exprimitur. Heb. 9. in hæc verba: Statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium, &c. Statutũ, inquit, quasi diceret, legẽ esse ac decretũ irrefragabile, & nullis vnquã comitiis abrogandũ. Cui deinde illud accedit Salomonicum: moritur doctꝰ simul & indoctus, &c. Quin & ethnici ipsi & prophanæ gentilitatis scriptores de hac ipsa ineluctabili mortis necessitate dilucidè cõmemorant: sic enim Flaccus ea de re scribẽs in odis canit:

Pallid

Pallida mors æquo pulſat pede, Pauperum tabernas,
Regumq; turres.

Rurſuſque alius Poëta huic ſuccinens, mortis ita deſcribit neceſsitatem, quæ ex æquo cunctos mortales cõmuni lege inuoluens excipiat neminem:

Mors, inquit ille, ſceptra ligonibus æquat.

Quin & Regius ille vates alicubi proprio mortem epitheto deſignans, viam vniuerſæ carnis appellat. Sed quid pluribus opus teſtimoniis, in re tã per ſe perſpicua, tã inſuper cõmuni vitæ vſu adeo vniuerſis manifeſta, vt nihil ſit, aut eſſe poſsit apud homines familiarius? 3. Reg. 3.

Venio proinde ad eam quam ſecundã, præcipuãque eſſe cauſam dixi, quę nos extimulare debeat ad vigilãdi ac præparandi curã, ne cũ nos adoriatur mortis dies, incautos deprehendat atque imparatos. Ea vero eſt clandeſtina atque furtiua eius aggreſsio. Siquidẽ vt nihil in humanis rebus certius eſt hac moriendi neceſsitate: ita nihil habet incertius hæc vita, quàm tempus ipſum aut diem, quo relinquenda ſit. Ideoque huiuſce vitæ noſtræ curſus ac ſpatiũ fragile & lubricum, ſæpe in diuinis literis vel leuiſsimis comparatur rebus, nũc gramini, nũc floribus, vmbræ, vapori ac fumo, aut ſi quid aliud his inanius aut mutabilius exiſtat. Sic & mors etiã ipſa ſubinde in ſcripturis, vel nocturno cõparatur graſſatori, qui tum maxime obrepit, cũ altiſsime dormitur, miniméque expectatur: vel alioqui laqueo aut hamo captandis auiculis piſcibúſque præparato. Sic enim clamat Eccleſiaſtes: Neſcit homo finem ſuũ, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, aut aues laqueo cõprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, quum eis extemplo ſuperuenerit, &c. Eodem pertinent & thematis noſtri verba, vbi de hac ipſa inopinata mortis incertitudine dominus in hunc concionatur modum, Quia qua hora non putatis, ea filius hominis venturus eſt, &c. Sed vt luculẽtius iſta oculis ſubiiciamus, quæ Eccle. cap. 9.

de vtraq; cauſa hactenus dicta ſunt, rem nunc agamus exẽplis, quandoquidẽ exemplis oĩa illuſtrãtur magis: Atque vt à poſteriore primũ exordiar, quàm fluxa & caduca ſit hæc vita, quamq; incerta res, mortis ſit cõditio, ſatis demonſtrant tot repentinæ omniũ ætatũ, perſonarũ ac graduũ mortes, cuius rei paſsim nobis exẽpla tum diuinæ literæ, tũ etiam prophanorũ ſcriptorũ libri ſuppeditant. Plinius ſiquidem ſeptimo naturalis ſuæ hiſtoriæ libro integrũ caput hoc ipſo titulo inſcriptum de mortibus repentinis confecit. Idémque ſequutus argumentum Valerius maximus de mortibus ſcripſit non vulgaribus. Quemadmodũ & alii præter hos non pauci, quorum libri paſsim referti ſunt exemplis eorũ, quos nulla euidenti cauſa, occulta & repentina vis mortis extinxerit. Quo in numero quidã Romæ fuiſſe fertur Q. Aemilius Lepidus, qui iam cubiculo egrediens, incuſſo pollice limini cubiculi ſubito expirauit. Alter nomine C. Aufidius egreſſus cum in ſenatum iret offenſo pede in comitio, corruit ilico exanimatus. Legatus quoque qui Rhodiorũ cauſam in Senatu magna cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus ocubuit progredi volens. De Aeſchili porro Poëtæ repentino ac nouo exceſſu in hunc modũ apud autores refertur, quòd egreſſus aliquando ex vrbe quadam Siciliæ vbi morabatur, aprico in loco reſedit; ſuper quem aquila teſtitudinem ferẽs decepta ſplendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illiſit, vt fractæ teſtitudinis carne veſceretur, eoque ictu finẽ ille vitæ accepit ſuum. Erat Lucianus eruditionis quidem opinione ac eloquentiæ non incelebris, ſed omnis religionis, tum maxime Chriſtianæ irriſor maximus. Hunc forte per viam itinerantem, ſubito agreſsi canes dilacerarũt: Dignum videlicet tali latratore exitiũ, quippe qui à canibus laniatus, noſtris

De repentinis mortibus exempla.

Plinius Natural. hiſt. lib. 7. cap. 2

nunc

nũc hominibus peridoneum exemplũ præbere posſit, tum his maximè, quibus hodie religio omnis ac pietas riſui habetur & ludibrio. Porrò ſi leuis ſit prophanorum caſuum autoritas, non deſunt & in ſcripturis nihilo mitioris exempli hiſtoriæ. Nabal erat vir olim inſigniter opulentus, ſed idem prædurus & ſordide auarus. Hic in tondendis ouibus (quarum ingens illi ſuppetebat copia) perinde ac ſi ſatrapes eſſet, cœnã apparabat regali ſplendore egregie celebrem. Cœterũ hic idem Nabal in ſe ac ſuos tam profuſus, quia Dauidi vnam ouiculam petenti denegarat, non ſolũ nõ refocillans eſurientem, ſed addẽs etiam maiorem ei moleſtiã qui ſub perſequutionis cruce laborabat, poſt decem dies, cum vniuerſa poſſeſsione, vita pariter exutus eſt. Eiuſdem ferè exempli eſt & illud quod in actis Apoſtolorum de Anania & Sapphira legimus, qui cum ex pretio diuenditæ poſſeſsionis partem aliquam pretii attuliſſent ad pedes Apoſtolorum, ſimulantes ſe integram ſummã attuliſſe, cum mẽtirentur ſpiritui ſancto, præmium ſua dignum ſimulatione tulerunt: perculſi enim Apoſtolica obiurgatione illico concidentes expirarunt. Exemplum hypocritis omnibus, & in religionis negotio ſimulatoribus formidabile relinquentes. Sequitur & iiſdem in Actis terribilius adhuc ſumptũ de Herode Agrippa ſupplicium, qui cum cõcionabundus ab adulatrice multitudine diuinitatis cuiuſdã honore attolleretur, cæpítque homo miſerabilis ſibi vendicare quod nefas eſt in creaturam cadere, ſeſe pro deo haberi geſtiens, ab Angelo ſubito percuſſus fœdiſsimo morbo grauiſsimoq; cruciatu abſumptus eſt. Adde & his Euangelici illius diuitis exẽplum nemini veſtrum non notiſsimum: Qui cum vberrimos agri prouentus percepiſſet, nec ſufficeret locus recõdendis iis, quæ prouenerant, demoliri horrea ſtatuit, ac nouis extruendis

Act. 5.

Act. 12.

Luc 12.

animũ intendit, ratus se habere copiam, quæ in multos annos sufficeret, seq; and letitiã his verbis hortatus ait: Anima habes bona multa reposita, requiesce, comedè, bibe, gaude. Sed quid fit? Non multi interuenerunt dies, imo eadem nocte vox dei stulti hominis falsum fœlicitatis somnium coarguẽs, vitam ab eo reposcebat, bonaq; incertis hæredibus reliquit distribuenda. Verũ enimuero in omnibus mysticæ scripturæ referẽdis exemplis, haud scio an vllum nobis documentum proponi possit ad terrorem efficacius, quàm Regis illius Nabuchodonosor cõtemplatio, qui in Babylonis aula de-
Daniel. 4. ambulans, ac delectatus magnificentia tam vastæ ciuitatis, cæpit supra humanum modum placere sibi, & cor attollere, Quid inquiens, nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Sed quid accidit? Dum sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit, quæ omnem ipsi sensum humanũ eximẽs, in pecuinam quodã modo naturam mentemq;, aduſque fœni ac straminis pastum transmutauit, præclarum nobis omnibus ac vniuersæ posteritati ædens documentum, ne quisquàm posthac in euanidis huius terræ bonis acquiescere velit, aut gloriari, verum si quis gloriari voluerit, in domino is glorietur. Satis modo ex his quæ adducta sunt liquere non dubito, quàm nihil in hac vita tam incerta totq; mortis casibus obnoxia existat, quod quisquam sibi certò polliceri queat. Accipite adhuc & aliud eiusdem exempli genus, non è longinquo petitũ, sed domi, vt ita dicam, natũ, quodq; ætas hæc nostra & memoria recẽs teneat. Quidni enim domestica recentiaq; exempla suam quoque efficacem habeant monendi vtilitatem. Noueram equidem & hominem ipsum & viri casum, de quo relaturus sum. Sacrificus erat ex eo hominum genere, qui ex sacerdo-

tiorum

tiorum aucupio victum & quæstum parant, vir verè Ecclesiasticus, quippe qui quatuor aut quinq; ad minus teneret ecclesias, quarum tamen ipse nulli presens ad impendendã officii curam interfuit. Huic igitur quũ tot beneficia beneficiis cumulata suppeterent, quot cuiusquàm hominis non modo auiditatẽ explere, sed cõscientiam etiam onerare possent ac deprimere, nondũ satiata hominis miserè famelici cupiditas, ad præbendam porro (quæ recens tum forte vacabat) potiundam, auaras man⁹ quasi vncũ iniecit polypharpax, ratus præbendæ eius accessionem peroportunã sibi fore, quo nimirum locũ haberet, vbi cæterarum ecclesiarum prædã otiosus impune deuoraret. Quid multis? haud longũ erat, quoad eam quoq; præbendam suis quibusdam instrumentis confecerit. Quid enim aut non impetrat, aut non expugnat durum auri metallum? Comparata itaq; præbenda, ac redeunte iam famulo, cum primum ille sigillum conspexerat instrumenti, incredibili exiliens gaudio, subito in hæc verba psalmi erupit, [quæ tum ex libro Papisticarũ precũ honorario longo repetendi vsu memoriter didicerat] hæc inquit, requies mea, & cætera quæ consequũtur, hic, inquit, habitabo, hic me oblectabo quandiu fuero. &c. Importunũ hominis portentũ, cui nõ satis erat tot dei ecclesias prędæ habere, nisi & sacrosanctis diuini verbi oraculis ad impium iocum blasphema leuitate abuteretur. Sed quid fit deniq; ? Qui tantã sibi requiem ex comparatis beneficiis promittebat, adeo nullã requiem, nullã omnino pacẽ assequutus est, vt pauciss imis post diebus paralysi repente correptus, cum tot occupatis beneficiis, nullũ neq; membrorũ, nec sensus, neq; rationis porro humanæ beneficiũ retineret amplius: mẽte ita prorsus emota, vt qui prius inter prudẽtes huius sæculi percelebris habebatur, nunc risui omniũ & ludibrio miser exponeretur,

retur. Deniq; ingraueſcẽte morbi grauitate, poſtquàm aliquandiu ſeſe lecto mouere non potuit, tandem cum beneficiis omnibus vitã pariter amiſit. Et quis vſqueadeo rerũ humanarũ tam imperitus, vitæq; communis ignarus hodie viuit, qui ſi vel mediocriter annis & ætate proceſſerit, non ſæpe vel nouit ipſe multos, vel de multis audiuerit, quos vel in cathedris, ac hemicyclis ſuis, vel in lectis interdũ quieſcentes, ſiue in plateis expatiantes, ſiue equis quandoq; inſidentes, itemq; alios alia agentes, nihilq; expectantes minus quàm mortem, ſubito repẽtinus mortis caſus præter omnẽ ſpem & expectationem è viuis ſuſtulerit? Vt interim illos præteream, quibus fraus inſidiantium, aut violenta inimicorum manus mortem citius quàm morbus intulerit: Cuiuſmodi non deſunt hodie nimis multa vbique ferè locorum exempla. Quapropter vt hanc demũ orationis partem breui finiam epilogo, quum tam violenta, tam certa, eademq; rurſus tam incerta & fallax mortis ſit cõditio, quæ turbinis rapidiſsimi in morem obuia quæq; proſternit, quumq; res adeo fugax vita exiſtat mortaliũ, tot porro periculis & repentinis caſibus expoſita, ſupereſt igitur vt omnes in vniuerſum homines, tum hi potiſsimum quibus diuina benignitas largiore manu, maiora huius vitæ commoda, affluentioremq; rerũ copiam indulſerit, his admoniti exemplis tum maximè ſibi caueant, cum in hoc ipſo ſui honoris, fœlicitatiſq; curſu ac dignitatum faſtigio, maximè ſibi ipſis applaudant, ac gratulentur: ita ſecũ quod res eſt in animo cogitantes, diuinam vindictam nunq; ferire citius acriuſq; graſſari, quàm cum rebus ad votũ fluẽtibus, in medio fœlicitatis ſuæ ſucceſſu ac ſtrepitu, ingrati protinus mortales ab omni dei timore oculos animũq; remouerũt, ſeq; in religionis ſemel pietatiſq; contemptum profuderunt. Atque his hactenus expeditis

ditis quæ ad mortis incertitudinem attinebant: reſtat vt de neceſsitate quoq; illius inexorabili paucula viciſſim delibemus exempla. Quãquàm in hac quidẽ parte haud multum exẽplis opus eſt, quum aſsiduus rerum humanarum curſus, & continuæ morientium ſtrages, non lectæ à nobis ſolũ & auditæ, ſed viſæ etiã, nimium per ſe admoneãt quàm neceſſaria omnes ſimul nati hic ſimus conditione, vt moriamur. Ideoq; ſunt qui locũ illum Moſaicum. Geneſ. 5. Legentes, vbi mentio fit ſanctorũ patrum, quorum alii ſeptingentos ætatis annos, alii octingentos, quidam noningẽtos exceſſerint, haudquaquã illud quidem carere ſua quædam emphaſi & ſingulari pondere putant, quod ſemper ille his verbis, accinit: Et mortuus eſt: ac ſi innuere id volens, quantumlibet vitæ metas in longum hic proferamus, licet vel Tithonos, Neſtores, Sybillas, aut Mathuſalemos viuendo ſuperemus, tandem tamen ſuccũbere aliquando neceſſe eſt: omnes, velimus nolimus, in occaſum ferimur: quũ nihil hic ſit, quod mortis durã effugere neceſsitatem poterit: Nam alioqui ſi virium, aut pectoris robur aduerſus mortis impetũ quicquàm valere poſſet, vixiſſet Sãpſon. Si quid ſapientia iuuaret, Salomon hodie viueret. Si militaris ſcientia & fortitudo bellica perinde ad profligandam mortem, quantum ad proſternendas acies profuiſſet, eximius ille nũquàm occidiſſet bellator Dauid. Si quid in forma ac elegãtia corporis, vel alioqui in aggeſtis opum cumulis ſitum eſſet ad arcendum mortis diem, cum apud Iſraelitas Abſalonem, tum Cræſum Lydorum tyrannũ eædem ab interitu vindicaſſent. Vel ſi deniq; in imperii amplitudine quicq; ineſſet, quod a morte tueri poſſet, magn⁹ illa tot domitor nationũ Alexãder à morte domitus tam cito non iacuiſſet. Sed quorſum opus tã longe petitis exemplis? quum vel hodiernæ diei præ-

De mortis incuitabili neceſsitate exempla.

Geneſ. 5.

ſens

sens hæc ipsa frequentia, tantusq; poqulorũ concursus ad illustrissimi Augustissimiq; Cæsaris Ferdinãdi iusta funebria exequenda cõfluentium, tanquàm pro mille exemplis sufficiat, ac clamitare quodámodo videatur, quàm verum illud sit, quod ex poëta modo recitaui: Mors sceptra ligonibus æquat: Rursusq; quod testatur flaccus: Omnes eodẽ cogimur, omnes vna manet nox. Quod si enim summa autoritate ac maiestate princeps facilè omniũ eminentissimus Romanorũ Imperator ac Cæsar Ferdinandus, cuius funeris celebrãdi causa, tantus hic hodie apparatus instruitur, Ferdinandus, inquam, ille tanto nobilitatis splendore, tum imperii magnitudine præditus, quanto non alius in his terris princeps viam hanc, quam supra dixi, vniuersæ carnis sit modo ingressus, nec vitare potuit tot modis amplissimus Monarcha, tot septus honoribus, ac subditorum obsequiis munitus, quin & ipse subditus cœlestis Imperatoris irreuocabili decreto parere, vitamq; reddere cogeretur: Quanto minus cuiq̃ hic nostrum dubitandũ est, qui tanto interuallo inferiores, infra illius amplitudinem subsidemus, fore aliquando, vt Imperatorẽ ac Cæsarem illum, nos quoq; priuati suo quique tẽpore sũbsequamur, idq; porro quàm celeriter respentéq;, nescitur. Cæterum quando in mentionem ac memoriã Imperatoris incidi Ferdinandi, peruulgatóq; more ita vsitatum a maioribus accepimus, vt in exequiis nobilissimorum principum aliqua orationis pars laudibus ipsorũ celebrandis tribuatur: obsequar & ego non illaudatæ consuetudini, dicámq; de eximiis laudibus huiusce nunquàm satis laudati imperatoris, non quantum res ipsa postulat, sed quantum pro modo concionis satis fortasse fuerit. Quod quidẽ ipsum etsi pleniore oratione, accuratiusq; in præsentia mihi faciẽdũ foret, nihil tamẽ noui facerẽ, nec aliud, quàm quod summo-

Ferdinandus Cæsar.

ſummorũ autorum ac grauiſsimorũ patrum exemplis facilè tueri poſſem. Siquidẽ Gregorius Naziãzenus, cui ob excellentẽ cognitionẽ theologi nomẽ erat, funebres cõciones nõ paucas habuiſſe legitur, quas ille, τοὺς πανηγυρικοὺς nuncupat, in Baſilium magnum videlicet, in Cyprianũ, in Athanaſiũ, in Gregoriũ Niſſæum, in fratrem, in ſororem, atque in patrem etiam ſuum (ex patre etenim Epiſcopo coniugato natus fuerat) quin & alios præterea nonnullos funebribus concionibus celebrauit. D. itidem Ambroſius in laudibus Valentiniani & Theodoſij celebrandis, obſecro quã egregiũ præſtitit encomiſten? Quod tamen à doctiſsimis ſanctiſq; iſtis patribus nequaquã factum quiſq̃ putet, vel ad eloquentiam, ingeniumq; inaniter oſtentandũ, multo minus ad his aſſentandum, quos amicos illis exiſtimarũt: ſed partim vt eorũ, qui defuncti eſſent, res præclarè geſtas, pia meritaq; commemoratione proſequerentur: partim eorum etiam cauſa, qui viuerent, quo magis ipſorum animos recenſendis illorum virtutibus ad rectè factorum imitationem inflammarent. Verum enimuero priuſquã hac de re exordiar dicere, hæc mihi venia initio petẽda eſt: ſi modo in nobiliſsimi huius Imperatoris laudibus tanquàm in varia ampliſsimaq; rerum ſylua verſaturus, ita ad plenum ſingula oratione non perſequar, quàm in Valentiniano atq; Theodoſio olim præſtitit Ambroſius. Nunquã enim fuit hic princeps mihi aliquando vel aſpectu cognitus: Atqui Ambroſius cum illis multam vitæ cõſuetudinem agitabat, ſenſus eorum tenebat, mores, ingenia, conſilia, ſtudiaq; omnia perſpecta habebat. Quæ omnia adiumenta quo magis mihi deeſſe fateor, hoc minus à me expectãdũ eſt, vt Ambroſiano exemplo per ſingula percurrendo, vniuerſa complectar. Tantũ perſequar quæ vel ex ſcriptis noſtrorum temporũ hiſtoriis, vel ex fama ac voce

hominum, vel ex fideli amicorum relatione ad cognitionem meam peruenerunt.

Primumq; illustrissimi huius Imperatoris ingressurus encomiũ multa sciens trãsiliã, quæ cæteri Oratores totis eloquẽtiæ viribꝰ, omniq; orationis contentione tantopere exornare sunt soliti. De his verò primo loco dicam, quæ ad generis amplissimam nobilitatem, parẽtum ac sanguinis splendorem, ac stemmata cũ primis illustria attinent. Quæ bona, quanquàm naturæ, potius quàm virtutis sint, tamen quicquid ista metentur laudis in his, quibus obtigerunt, id omne huic vni iure summo debetur: quum haud sciam an vllus sit hodie terrenus princeps in omni nobilitatis genere, nobilissimo huic Ferdinando anteferendus: quippe qui antiquæ prosapiæ originem è tot tamq; vetustis Imperatoribus longa successionis serie trahens: Fridericum eius nominis tertium Imperatorẽ atauum habuerat. Deinde Maximilianus eius Friderici filius & Imperator eidem auus erat: cuius præterea filius Philippus Hispaniarum Rex, ex Regina vxore ac filio Regis Hispaniæ, hunc ipsum Ferdinandum Imperatorem, cum Carolo quinto Germano ipsius fratre, pximoq; ante eũ Imperatore progenuit. Quin nec minus illustrem ex materno genere claritudinem sortitus est, cuius nõ solum mater, filia & hæres Regis fuit (vt dixi) Hispaniarum: sed & auia iusuper ex splendidis cum primis natalibus genus ducens, nobilissimi illius Caroli Burgũdiæ ducis, & totius Belgiæ principis, qui cognomento audax est dictus, filia & hæres vnica fuit. Qui quidem Carolus etsi honoris titulum supra ducem nõ extulit, at idem dux à Regibus tamen Galliarum originem traxit: quiq; porro in eo ducatu ita se gessit, vt vel maximis etiam sui temporis Regibus terrori fuerit & formidini. Itaque quæcunq; clarissimarum

Laus Ferdinandi ex nobilitate generis.

imagi-

imaginum, ac nobiliſsimorum ſtemmatum ſupremã habẽt laudem intra Chriſtiani huius orbis imperium, ea omnia vno veluti cumulo in vnã Ferdinandi huius perſonã ſunt congeſta. Nam extra Chriſtianæ ditionis fines, nulla veræ nobilitatis laus eſt, ſed barbarica poti⁹ & obſcura quædam ignobilitatis vmbra, nullam de ſe lucem claritudinis reddẽs ſed tenebras offũdẽs magis. Sed externa hæc bona, quoniã ad propriã hominis laudem non ita multũ faciũt, miſſa iam facio. Mitto etiã & illud immenſum ac ſupremũ omnis humani faſtigii culmẽ ac verticem, ad quẽ Cæſar hic per omnes ſenſim honoris ordines, ac virtutis gradus conſcenderat. Quippe qui poſt Maximiliani aui ſui fata, præter aliã dignitatũ ornamenta, euectus eſt ilico nõ ad Ducis, ſed Archiducis eminentiã atq; titulũ, Archidux, inquam, declaratus Auſtriæ: imo re vera ſolus ex omnibus toti⁹ orbis principibus Archidux deſignatus. Etſi enim eodem fortaſſe honoris titulo & alii fuerint Archiduces appellati; attamẽ qui Archidux & reuera eſſet & haberetur, præter hunc vnũ equidem noſtra hæc ætas, quod ſcio, nouerat neminẽ. Poſt hæc in Bohemorũ, mox & Romanorũ Regẽ prouectus eſt. Tertio obiectũ eſt & Hũgariæ regnũ: poſtremo ad abſoluendũ hunc terrenæ dignitatis ac honoris circulũ, ne quid perfectæ deeſſet fœlicitati, præter hãc ipſã triplicis regni acceſsionẽ, adiuncta eſt inſuper imperatorii culminis maieſtas. Quo honoris faſtigio, nihil poteſt in rebus humanis eſſe ſublimius. Quum imperatorii huius honoris ſupremum dico faſtigiũ, ne illũ ipſum quidem excipio emẽtitũ & faſtuoſum Romani Põtificii primatus apicem. Sic enim accipio, hoc quicquid eſt poteſtatis quod Romanus Pont. ſupra Cæſarem ſibi ſumit, nõ iure deberi, ſed ambitu quæſitũ, ac falſo vſurpatum eſſe. Qua in re inter cæteros quos hic teſtes producere poſſem, aper-

 tiſsime

tissime mecum facit Tertullianus, grauis cum primis autor: Quippe Imperator, inquit, omnibus hominib⁹ maior, solo deo minor existit, &c. Atq; hæc hactenus de illustrissimi Imperatoris Ferdinandi eximia nobilitate, ac cumulatissima illa honorũ omniũ possessione adducta sufficiãt, quæ tamẽ, vt iis qui in panegyricis versantur aptiora, quàm sacro accõmoda suggesto, breuiter de industria ac quasi punctis quibusdã adnotaui.

Ad Scapul.

Ferdinandi variæ virtutes laudatæ.

Quanq̃ equidẽ haud abnuerim, & hæc ipsa bona corporis, fortunæq; (vt dici solent) Dei quoq; dona esse, ac proinde suæ quoq; laude non frustranda. Attamen bonorũ hæc quidẽ genera eiusmodi ferè sunt, quę magnos potius viros, quã bonos aut Christianos efficiãt: quippe quæ malis nõ minus quàm bonis, ethnicisq; æque ac Christianis persæpe cõtingant. Itaq; prętermissis his quæ corporis & externa bona sunt, ad ea quæ animi propria veraq; virtutis bona in hoc fuere Imperatore me transferã. Quanquã & hic contractiore vtar oratione necesse est, eandem ob causam, quã supra cõmemorani. Nã ex famæ clarissima buccina accepi, virũ eum fuisse qui virtutũ omnibus ornamentis insigniter polleret, qui & amans veri, & recti tenax fuerit. Sed ante omnia, clemẽtia prędituς singulari, potens in decernẽda iusticia, nec minus admirabilis in temperanda legũ seueritate. Lex verò cum natura sua æqua pręscribat omnibus, is necessariam seueritatem sic lenitate condiebat, alterã virtutem cũ altera fœlicissimo temperamento cõmiscens, vt an illam magis in eo metueres, an hanc amares, haud temere scires. Adde insuper in tam sublimi animo humilitatẽ cũ pari coniunctã affabilitate. Quin nec deerat in hoc principe literarũ non vulgaris peritia, siue artium reconditam spectes cognitionem, siue linguarum expeditam facilitatem, in quibus adeo sibi non defuit, vt nullus ferè ex omni Christiano

orbe

orbe vndecūq; ad eum cōmearet legatus, quo cum hic Cæsar in re quacūq;, etiam sine interprete agere & pertractare non posset.

Verum inter alia quidem virtutum decora in hoc spectanda Imperatore, tria potissimum succurrunt, de quibus hoc tēpore apud vos agere, paucis tamen & succinctè decreui. Quorū duo priora nemini vestrū non notissima sunt. De tertio sæpe audiui à nonnullis, fide non minus dignis quā eruditione excellentibus viris. De quibus nūc ordine orationem instituam: Et primo loco bellicam illius virtutē, fortitudinem militarem, ac labores castrenses attingam, quos ille nō mediocres per continuam ferè vitam, aduersus Allophylos, hoc est, professos Christiani nominis hostes, Turcicam illā dico colluuiem, ingenti & excelso animo sustinuit. Enimuero principis Christiani, supra cæteros mortales, præcipuæ hæ mihi partes videntur esse, vt gladii, quem illis in manus diuina cōmisit autoritas, ius & rectū vsū teneant, quo piorum ac innocētum defensioni, cōtraq; malorū coërcendæ audaciæ subseruiat. Atq; hic quidē mucro nūquā educitur salubrius, quàm in hoc bellorū genere, quo Christianus populus sese ab inimicorū infideliū audacia atq; crudelitate defendat. Hęc enim bellorum genera in hunc susceptā modū, singulari quodā cōmendationis priuilegio præ cæteris bellis omnibus, insigniūtur in scripturis diuinis: quippe quæ bella domini dicuntur. In his igitur sacris dei bellis, veluti pro arca domini, cōtra Turcas & Mahumetistas depugnans eximius hic Christi miles, non solū adolescentiæ, sed & virilis ætatis, totiusq; adeo vitæ maximā cōsumpsit partē: Nec sūptibus interim vllis parcens, nec corporis sui laborib⁹, quos ille generosissimo pectore vix dicēdos sustinuit. Ideoq; in hac quidem virtutis laude, merito conferendus videtur illi inter laudatos principes

Ferdinādi stratagemata.

BIBL. CANT. ACAD.

laudatissimo Dauidi, qui cõtra Philistæos, ac alias impias gentes confligens, bella domini gessisse dicitur. Cæterum non deerit hic fortasse quibusdam quod cõtra obmurmurent. Sic enim audire videor quosdam in aurem obmusitantes : Næ tu magnificè nobis satis Ferdinandi huius depredicas prælia contra Turcas gesta, sed eadem hæc bella, quales, te quæso successus sortita sunt? An non superiores semper obtinuit Turca? An non Turcicis his bellis superatu, magnam Hungariæ iã partẽ amisimus? Et quæ igitur tanta hæc, quæso, istius laus, qui rem bellando nõ restituit, sed perdidit? Quorum ego hominum calumniis vicissim in hunc respondeo modum. Res bello gestæ & facta ducum, non exitu omnino atque euentu metienda sũt: sed sententiam ipsam ducis, animi destinationem, prudensq; in rebus gerendis consilium, industriam ac strenuos conatus spectandos esse, atque perpendendos sentio. In quam sententiam perquam appositè nobis astipulatur Poëta quisquis is est, qui scribit,

Careat successibus opto.
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Vt aptè, dispositeq;, atq; suo quæque ordine digerantur, quæ ad militarem disciplinam, victoriamq; comparandam attinent, id equidem in ipsis ego hominibus vtcunq; situm esse non diffiteor. Verum enimuero vt successus rerum bene dispositarum pari fœlicitate respõdeant, est illud profecto non humanæ prudentiæ, sed diuini muneris, nec ab homine sed à deo autore proficiscitur, qui pro suo arbitratu, in suam ipsius gloriam administrat vniuersa. Quòd si verò ita visum fuerit iustissimæ voluntati ipsius, vt flagitiosa hæc Christianorũ vita, verbiq; sui contemptus ac persequutio tanta, quantã vbiq; ferè apud principes Christianos crudelissimis exemplis nuper excitari vidimus, per ferocissimos hos Turcas castigarẽtur, quemadmodũ olim populum

pulũ ſuũ Iudaicũ per Nabuchodonoſor afflixerat, duro quaſi nodo, durũ quærens cuneũ: Quid quæſo quantumlibet magnus Imperator, vel vniuerſi etiam Chriſtiani principes ipſius decreto obſiſtendo, profeciſſent? Et tamen ſi humana ratione, & liquidis coniecturis æſtimanda nobis ſit Hungariæ huius, quam dixi, clades atq; amiſsio: non illi, ſed cæteris viris principibus quibuſdã Chriſtianis imputanda erat, qui de obſoletis quibuſdã & carioſis titulis inter ſe, per id tempus tumultuãtes, viam Turcicæ tyrannidi, quã præcludere conueniebat, patefecerunt: dum interea Rex hic Ferdinandus ſine ope, ſine copiis ſubſidiariis, ſine ſuppetiis cæterorum Regum, quas ſæpe fruſtra imploratas nunquã impetrare potuit, cũ vno omniũ potentiſsimo atrociſsimoq; tyranno, cuius in dies augeſcens imperium iam ſeſe vniuerſæ ferè Chriſtiani orbis ditioni æquauit, ſolus ſuis armis fultus ac viribus congredi cogebatur. Vt interim quorundam Hungariæ principũ conſpirationes præteream, qui in ſui Vaiuoidæ gratiam cum Turca clam cõferentes conſilia, multo magis huius neruos & vires retardarant, quàm omnis barbarorũ quantumuis immanis poteſtas ac multitudo. Atq; in in his tot tãtiſq; remoris, atq; difficultatibus, quæ quæſo ſpes ſucceſſus fœlicis, ac potiundæ victoriæ cuiquam eſſe potuit? Quanquã verò eadẽ hæc iſtius bella aduerſus Turcas fortiſsimè ſuſcepta, geſtaq; prudentiſsimè, ſuo etiam ſucceſſu omnino haud caruere. Id quod neq; cuiquã veſtrũ eſſe obſcurũ poteſt, ſi veteri repetita recordatione, in mẽtẽ vobis veniat Viẽna illa nobiliſsima ampliſsimaq; in oris Auſtriæ ciuitas, cõtra Turcas tã ſtrenue ac fœliciter huius maximè Imperatoris auſpiciis atque præſidiis olim defenſa, atque hactenus conſeruata. Narrant ij qui in hiſtoriis noſtrorum temporum conſcribendis elaborarunt, de inclyta hac Viennæ Vienna. Paul. Ioui. 9.

Viẽnæ ciuitate, quæ eo quidẽ tẽpore haud admodũ mũnita, cũ ingẽs Turcarũ vis incredibili barbarorũ manu, latéq; diuiſo ac diſperſo exercitu per Hungariã vndiq; graſſãs, crudeliſsimis exẽplis vbiq; æditis, nec ætati nec ſexui parcẽs, grauidarũ etiã mulierũ horribili immanitate perruptis ferro viſceribus ſubito admotis ad hãc vrbem caſtris, eam quinquies partito exercitu obſidione cingebant, tanta ſcilicet, tamq; decumana barbarorũ multitudine, vt qui in acropoli eius vrbis conſiſtens, oculos quaquauerſum circunduceret, per ſeptẽ aut octo miliaria, nihil prẽter caſtra videret & turmas amatorũ. Et quis hic dubitare poteſt, quàm miſeranda rerum facies, quanto in terrore ac periculo cuncta intuentium oculis & animis ſubiacerent, cum nec agri ipſi capiẽdæ ſufficerent multitudini, tum hoſtis ipſe immineret tã propè, vt inter enſes oppugnantium & ciuium ceruices mortemq; manifeſtam, haud amplius ſupereſſet ſolo murorũ ſpatio, quumq; deniq; & murorum magna pars actis cuniculis euerſa, vel tormentorum violentia diffracta, plenos hoſtium cuneos admitteret? Quæſo hic ego vos (patres ac proceres honorandi) vt conſideretis, ſubuerſis iam mœnibus, in tam infirma ac imbecilli ciuitate, in tanta deniq; nõ oppugnãtium ſed etiam ingredientium multitudine: quid amplius in tãto diſcrimine huic reſtare videbatur vrbi, præter miſerrimam captiuitatem & rerum omnium ruinam & panolethriam? Nunc igitur quid fit, audite, ſimulq; intelligite in rebus adeò perturbatis, ac prope iam deſperatis, vbi cæteris fortaſſe ducibus militibuſq; nullus adfuiſſet omnino pugnandi animus, pugnantibus tamen, Ferdinandi auſpiciis, quàm nõ defuit diuinitus adiuncta fœlicitas. Siquidem vbi mœnibus nudata ciuitas vndiq; pateret hoſtibus, iamq; tribus cõtinuis diebus tres continuæ impreſsiones, vaſto inſultu, immani furore, totiſq;

Inſignis victoria Chriſti beneficio parta cõtra Turcas.

totiſq; Turcarũ viribus in ciuitatem fierent, vbi deniq; cũ fractis mœnibus, fracta & ſpes ciuium merito concidere potuiſſet, corpora tamen Chriſtianorũ ipſa pro mœnibus conferta atq; oppoſita (Chriſti gratia ac ope ſingulari) tam fortiter tyranno reſtiterunt, eiuſq; vires adeò fregerunt, vt ſublatis caſtris, ſumma cum ignominia & exercitus ſui maxima clade maximis itineribus retro in Thraciam redierit. Cuius quidem victoriæ fœlicitas vobis quanta videatur neſcio, mihi profecto diuinum eius rei miraculum conſideranti, eiuſmodi ea videtur fuiſſe, vt niſi Chriſti ſeruatoris auſpiciis, dimicantibus tum Ferdinandi copiis ea obueniſſet victoria, nõ modo Italia, totaq; Germania, ſed & Gallia, adeòq; hæc ipſa Anglia noſtra ſub Turcicæ fortaſſe ſeruitutis terrore aliquo, ante hunc gemuiſſet diem. Atq; de nobis quidem Anglis, qui veluti procul à periculis ſemoti, tam ſecuri nobis ipſis applaudimus, dicam liberè quod ſentio, ſicuti verum fuiſſe euentus docuit, quod prouerbii loco olim iactabatur: Pontificem ſcilicet Romanum nobis ante fores acceſſurum: ita neque minus verum & illud futurum de Turca fuiſſe, vt & is quoq; ſimiliter in foribus atq; in ædibus iamdudũ noſtris adforet atque graſſaretur, niſi Chriſti ſummo beneficio Ferdinandus in Viennenſi hac pugna, immanitatem illam barbaricam à noſtris pepuliſſet ceruicibus. Etſi enim Ferdinandus tum Romanorum Rex, per id tempus in acie, rebuſq; gerẽdis minus ipſemet præſens interfuerat, nihilo tamen minus victoriæ laus ad ipſum propterea pertinet. Bellum enim, & vrbs ipſa, deinde & exercitus Ferdinandi erat, adhæc belli illius pondus, ſumptus, & adminiſtratio, laborq; in negotiis, induſtria, conſilium in prouidendo & diſponendo, ad Ferdinandum ſpectabant: deniq; Ferdinandi auſpiciis totum illud bellum & geſtum, & confectum eſt. Breui

D.i. igitur

igitur vt finiam ſumma, ſi Ferdinandus Gæſar, nullũ omnino aliud per omnem vitam, ſtratagema ac monumẽtum bellicæ laudis, imperatoriæq; virtutis ſuæ, præter hanc vnam Viennẽſis vrbis defenſionem reliquiſſet (reliquit autem permulta) tamen hoc illi vnum ad æternum decus, nominiſq; ſplendorẽ immortalẽ ſatis ſuperq; futurum eſſet. Atq; hæc hactenus de militari illius laude ac fœlicitate dixiſſe ſit ſatis.

Ferdinandus pacis amans & ſtudioſus.

Reliquum eſt, vt ad alterã imperatoriæ laudis partẽ accedat oratio, quæ mihi in modetatione ac ſtudio pacis, conſtituenda videtur, cuius hic ſemper, ex quo primum tẽpore Imperator eſt deſignatus, fuit ſtudioſiſsimus. Neq; interim mirum hoc cuiquã videatur, ſi duo hæc eademq; diuerſa ſtudia, pari laudis contentione, in vno eodemqué homine coniungere videar, pacis videlicet & belli ſtudium. Etſi enim primo aſpectu duo hæc inter ſe videantur diſsidere, attamẽ eadẽ iſta diuerſitas pro tẽporũ alia atq; alia ratione, proqué mutatis circũſtantiis, nequé inter ſe pugnare, nec ab eiuſdẽ hominis laude aliena quidem videri debent. Idqué vel imprimis huius imperatoris res domi militiaqué geſtæ docere nos poterint. Bella etenim cum inimicis dei geſsit, pacẽ vero cum illius amicis coluit. Quũ primũ autẽ auctoritas imperii ei deſignata eſt (cõpoſitis iã belli Turcici tumultibus) omnẽ animi curã ad pacis Chriſtianæ adiecit ſtudiũ. Neq; enim ita proferendis & dilatandis imperii finibus incumbebat, multorum exemplo, quin multo illi charior vita & ſanguis ſuorũ exiſteret. Bella ciuilia nunquam ille, ſiue religionis, ſiue quocunq; alio prætextu, non modo non geſsit, ſed nec vnquam attigit. Amicitiam atqué concordiam ſtabilem erga imperii ordines alere, diſſentionũ cauſas præcidere ſolebat, vnde Germanorum res miſeris modis, ante eius imperium acciſæ afflictæqué, partim inteſtinis, partim externis

Bellum & pax quomodo in vno poſsũt conuenire principe.

ternis bellis exagitatæ, ita nunc imperante Ferdinando florere videantur, vt his aliquot retro seculis nunquam æque floruerunt. Quo nomine in hunc imperatorem Augustum merito Augusti vox illa celebratissima quadrare poterit, vt idem de Germania iste, quod ille olim de vrbe Roma diceret: Germaniam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Propterea sicut in rei militaris excellentia cum Dauide fortissimo principe istum prius conferebam: ita nunc in reliqua ætatis parte, haud temere hunc ipsum Ferdinandum moderatissimum principem conferendum esse cum Salomone putem, qui ex ipsa vocis etymologia, rex pacificus dicebatur. Atq; hactenus quidē Ferdinandus Cæsar & belli & pacis laude florentissimus vnus cum duobus summis, ac eminentissimis principibus collatus, ita ferme sese illis æquauit, vt nescias in vtra excellentiæ parte, vtro eorum existeret inferior. Accedit tertio nunc loco inter laudes huius Imperatoris adnumerandum, quod etsi mihi (vt supra admonui) quasi occulato testi vitæ illius, exploratum compertumque non sit, at illorum tamen, qui propius ipsum nouerunt, quibusqué tuto fidam, sermone acceptum persuasumque habeo, fuisse in hoc principe rarā vitæ castimoniam ac singularem quandam curā in tuenda retinendaq; coniugalis amoris fide. Quæ virtus per se tam excellens, quanto rarioris exempli sit atque in paucioribus hodie inueniatur, in nostris etiam plebeæ sortis hominibus, tanto maiore quidem laude in viro principe, tum maxime autem in Cæsare (principum quodā modo principe) digna profecto omni admiratione videat, his præsertim tēporibus & moribus nostrorū hominū. Nūc enim nescio quo pacto, reb⁹ indies in deteri⁹ plabētib⁹, eo impudētiæ impuditiæq; peruentū est, vt non modo apud sublimes satrapas, sed etiā

Insignis Ferdinandi castimonia.

Infimũ quẽq; ferè homuncionem, turpissima libido, ac cõnubii violatio, non modo omni carere repræhẽsione existimetur, sed etiam iidem Cyclopica quadã audacia, cæteros æquales suos, qui iisdem sese vitiis flagitiisque contaminare ad eundem non audent modum, tanquã fatuos & vecordes ducant & derideant, ac conuitiis insuper insectantur: haud multum quidem dissimiles impuro ac perditissimo illi hominum generi, de quibus apud D. Petrum fit mentio his verbis: Atque hoc absurdum illis videtur quòd non accurratis vnà cum illis in eandem luxus refusionem, &c. Sed sciant immanes isti Cyclopes, atque impuriss. belluæ, quæ apud eundem Apostolum mox insequntur, quàm certissimè ipsis ni resipiscant, euentura: Sequitur enim: Atque hi, inquit, rationem reddituri sunt ei qui paratus est ad iudicandum viuos & mortuos, &c. Sunt etenim diuinæ legis decreta eiusmodi, non quæ ad paucos tantum restricta, locis vel personis, vel conditione aliqua genereq; hominum distinguantur, sed æque vniuersis præscripta, quosq; æquali ratione iudicii seu satrapas, seu plebeios, siue diuites, siue pauperes, summos Cæsares, Reges, Reginas, heroas, ac heroinas, nobiles æque, ac ignobiles complectuntur. Neq; enim τὴν προσωποληψίαν nouit diuina æquitas. Quin iudici deo æque strictum exactamq; rationem potentissimi licet Monarchæ reddituri sunt, ac quiuis holitor, aut Opilio, aut vltimæ alioqui abiectissimęq; sortis homuncio, eo die, quo pro tribunali sedebit Iudex viuorum pariter & mortuorũ Iesus Christus: Nisi quòd fortè grauius seueriusque iudicium iis subeundum sit, a quibus, pro ampliore ipsis concredita administratione, grauior exigetur ratio, iuxta diuinæ scripturæ sententiam: Cui multum creditur, multum ab eo requiretur. Et alibi, potentes potenter tormenta patientur, &c. Nemo

1. Pet. 4.

Luke. xii. Sap. vi.

mo igitur quantauis prælucens eminentia princeps aut satrapes, ex generis aut dignitatis conditione peccandi sumat sibi audaciam atq; licentiam, quin ex huius potius castissimi principis vita moderate castéq; acta, exemplum sibi petat quod sequatur: Quippe qui in venerando sacri coniugii vinculo ita se gessit, vt nullam aliquando violationis labeculam, coniugii castissimus amator thoro coniugali inusserit, quin neq; in suspitionẽ eius quidẽ rei aliquãdo venerit. Ac proinde non immerito mihi in hac quidem virtutis parte conferendus videtur cum religiosissimo illo Imperatore Gratiano, cui percelebre illud Ambrosii elogiũ tribuitur. Erat, inquit, Gratianus castus corpore, vt præter coniugium nescierit alterius fœminæ consuetudinem. Ambros. in in orat. de obit. Valent.

Audistis itaq; eximiam hactenus in hoc Imperatore castitatis obseruantiã, nunc vicissim obseruetis id mihi velim, quot quantisq; benedictionum præmiis, coniugalem hanc ipsius pietatem diuina repensauit benignitas. Quum etenim aliis principibus ob vitam impurè actam, iustissimo Dei flagello sterilitatem aut orbitatem infligi, sudemq; Regiam omni prorsus legitima successione destitui sæpe aduertimus, ex quo ingentes familiæ successoribus orbatæ penitus extinctæ euanuerunt: huic Imperatori adeò numerosam vtriusq; sexus sobolem indulsit deus, vt etiam iuxta illam psalmi benedictionem, filios filiorum suorum viderit. Omitto hic filiarum præterea honoratissimas nuptias, in quibus elocandis neq; humanæ amplitudinis splendor, nec diuinæ defuit benedictionis faustitas. Illud interim nõ prętercundum, vt intelligatis illustrissimum hũc Imperatorem, quemadmodum cum Dauide Rege modo comparatus, non multum illi inæqualis in capessenda virtute, rebusq; pręclarè gerendis videri potuit: ita nunc in ferendis virtutum pręmiis, haud multo fuisse

D. ili illo

inferiorem, si modo vtriusq; recte remunerationes cō sideremus. Ac primum de Dauide sic deo gratias agente, legimus: qui simulatq; Salomonem filium hæreditaria successione in Regē post se deposci persensit: eiusmodi verbis deo gratias egit: Benedictus, inquit, dominus deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis, &c. Verba enim & locū ipsum satis uos tenere non dubito. Certé neq; minorem adfuisse causam reor, ornatissimo huic Imperatori Ferdinādo, quamobrem & ipse iustas domino deo gratias persolueret, cum nō dissimili dei beneficio datum illi sit, vt quemadmodum Dauid Rex Salomonē filium in solium paterni regni cooptari cerneret, haud secus & iste etiamnū viuus & superstes clarissimum filium & primogenitū, Maximilianū dico (nunc Imperatorē) Regē designari Romanorū præsens aspiciebat; ac proinde eundem aliquando (si viueret) in paterni etiā Imperii sceptra successurū nihil diffideret: quā ipsius spem nec euentus etiā fefellit. Ingens hoc profecto fuit dei beneficiū, ingens & hæc ipsius patris, ingens et Maximiliani filij, sed multo maxima vniuersi Germanici Imperii extitit fœlicitas. Quam fœlicitatem, & nos Angli libenter illis atque ex animo, vt par est, adgratulamur. Vtinam idem faxit dominus deus opulentissim° castitatis remunerator, vt ipsi vicissim Germani, adeoq; vniuersi orbis Christiani homines persimilem aliquando Regiæ successionis fœlicitatem nobis quoq; Anglis adgratulentur. Amen. Amen.

Maximilianus Cæs.

Atq; hæc hactenus mihi, ad præstantissimi Imperatoris laudes vtcunq; illustrandas atque exornandas dicenda existimaui, partim præclara ipsius facta totque virtutū monimenta pro præsente occasione cōmemorādi causa: partim vt hos ipsos etiā status atq; ordines,

quos

quos habet hæc frequentia, pari æmulatione laudis, ad res præclarè gerẽdas prouocatos, ad ea similiter capessenda, quæ in hoc Cæsare celebrari vidẽt, exuscitarem. Atq; hic equidem facerẽ de eo dicendi finem, nisi vnus adhuc restaret scrupulus, mihi ex animis quorũdã eximendus, qui hunc ipsum tantopere à me laudatũ principem, in eo tamen nõ probabũt forsan, quòd in recta religionis ratione minus nobiscũ consentiret. Quorum vt respondeam suspitioni, equidẽ non diffiteor per grauem esse, adeóq; rẽ magni ponderis, religionis causã: Cũ sine ea nihil sit, quod quẽquã deo commendare poterit. Nos igitur, quos diuina adeo pietas doctrinæ suæ luce illustrauit, magnas Deo opt. max. gratias merito omnes debere, illiusq; benignitati deuinctissimos teneri confiteamur. Simulq; quod officii nostri ratio necessaria postulat, gratis vicissim animis & beneficii autorẽ agnoscamus, ac rectè porro vtamur iis, quæ donauit illẽ ad gloriã ipsius, & animæ nostræ salutem. Præterea rogemus patrem illum luminũ, à quo bona cũcta optima & perfecta descendunt, quiq; corda principũ in manu habẽt, ea flectere dignetur, ac luce suæ cognitionis illustret, vt relictis errorum tenebris, in viam reducantur veritatis perfectæ, ambulentq; in lumine ipsius: non propriæ gloriæ, non suis cupiditatibus seruientes, sed ad ipsius religionẽ ac gloriã propagandam cũcta referentes, cui omnis debetur gloria. Amen. Et tamẽ, vt attingã hoc etiã loco nonnihil in eius, quẽ laudaui hactenus, defensionis patrocinium, quanquam necesse non sit singula hic persequi quæ in hanc partem produci queant, tamen quum multæ grauésq; in promptu sint rationes, quibus eum Romanæ religioni non tam addictum affixumque fuisse, quàm quidam videri volunt, facilè conuincatur: nos è multis paucula, quæ

Religio Ferdinandi Cæs.

præcipua videbũtur firmamenta breuiter attingemus. Neque verò ſubtilius hac in cauſa, callidiuſq; agã hoc tempore, prẽſertim in tanta corona hac grauiſsimorũ procerum, neque illud mihi aſſumam, vt hic contendã apud vos, hunc Principem paulo ante exitum, nobiſcũ prorſus cõſenſiſſe per omnia religionis inſtituta, quod equidem neque dico, neq; etiam reor. Verum vt ſimpliciſsima vtar apud vos oratione, nihil in præſẽtia ad cauſæ huiuſce defẽſionem afferam, niſi quod vel per ſe dilucidè conſtare poſsit omnibus, vel certiſsimis alioqui comprobatum teſtimoniis nemini non ſit notiſsimum. Ac primum negari illud non poteſt, poſtquàm ingenti delectu, ſummoque conſenſu omniũ ordinũ Imperator eſt deſignatus, ſine vlla omnino miſſa, & Papiſticis illis prorſus orgiis, eum imperio inauguratum eſſe: quod equidem poſt lõgam hominum memoriam, hiſce multis ſeculis nec factum nec viſum arbitror; Quod ſi quis ſit, cui minus hoc verum fortaſſe videatur, adſunt etiamnũ hac ipſa in concione frequentes, qui Francfordiæ his ipſis tum comitiis rerum geſtarum teſtes ibidem oculati interfuerunt. Atque adeò quo magis res ipſa omni careat ambiguitate, vel illud argumento fuerit, q̃ quum cæteri ante eum Imperatores ante meridiem inautorari ſunt ſoliti, huius Ferdinandi inauguratio in tempus vſq; pomeridianum data opera dilata eſt: ne qua vel leuiſsima ſuſpicio de adhibita Miſſa oriri poſſet: At ſi Imperator hic, miſſæ quam dixi, papiſticę cæremoniam tanti feciſſet, quanti ante eum cæteri maiores ipſius ſunt ſoliti, an ille eo die in ſuis illis imperii auſpiciis Miſſa caruiſſet? Nõ equidem exiſtimo. Verum aliquis fortaſſe excuſatione diſsimulationis cuiuſdam, clariſsimum hoc ac ſingulari laude dignum exemplum Imperatoris ita diluet, atque amolietur, quaſi ille inuito animo hoc tempori dare,

dare, donec tandem compos esset imperii, cogeretur. Atqui talis patronus, amicũ se imperatoris simulans, perfidum sese eius hostem esse potius prodit, tam indignè videlicet de eximia illius maiestate sentiens, tamqué fœdam dissimulationis maculã tam ingenuo Imperatoris animo aspergẽs: quasi in religionis negotio adeò ille conscientiæ suæ obliuiscì, vt ambitioni inseruiret, animũ vnquam induceret. Quin sæpe etiam à multis audiui, hunc ipsum ante susceptã à principibus electoribus imperii coronã, data prius illis fide pollicitum esse, nunquã velle sese à Romano pontifice coronari, id quod & re ipsa præstitit. Quippe cum in imperii dignitate versaretur tam diu, toto tamẽ illo tempore, nunquã ille pontificis auspiciis, more maiorum antea vsitato initiatus dicitur. Iam illud mihi perpendat velim non stupidus nec iniquus æstimator, an nihil omnino huiusce Cæsaris facto derogatum Romanæ sedi putet, imò an non grauissimum potius vulnus fortitudo hæc atq; constãtia imperatoris sedis illius prærogatiuæ inflixerit. Quod si verò Ferdinandus hic superioribus illis pontificũ Romanorum temporibus vixisset atq; simile quippiam fuisset ausus, sedentibus videlicet Gregorio septimo, ac Paschali, qui illustrissimũ fortissimũq; Henricũ eius nominis quartũ, qui in præliis plꝰ minus sexaginta stetisse in acie dicitur, primũ de imperio superbè, dinde de vita crudeliter deiecerũt: Vel viuente alioqui Papa Alexandro tertio, qui nobilissimi Imperatoris Friderici Barborossæ collum pedibus calcauit: Deũ immortalem, quos ibi motus, quæ schismata, quantas tragædias perturbationũ & bellorum ilico sentiret hic mundus? Nunc verò aliter sibi consulere & sapere astuti incipiunt pontifices, qui licet animos nihilo mitiores gerant, quam prius, coacti tamen temporibus, quod virtum inopia perficere nequeũt, callida dis-

Ferdinandus a pontifice Romano alienus.

ſimulatione ſupprimũt, ceduntq; tempori inuiti, partẽ retinere aliquam, quã de vniuerſo periclitari malẽtes. Quæ cum ita ſint, cui iam obſcurũ eſſe poterit, quid de conſcientia Ferdinandi & voluntate erga ſedẽ Romanã iudicãdũ ſit? Qui ſi ita affixus huic ſedi fuiſſet, quas ſi de neceſſitate ſalutis (iuxta Canoniſtarum dogmata) non licere ſibi ab ea reſilire exiſtimaſſet, nunquam profecto tale exemplum de ſe præbuiſſet, et ſi decẽ imperia hoc nomine lucratur⁹. Ad hæc extat in manib⁹ hominũ typis etiam impreſſoriis excuſa oratio, nuper in cõcilio Tridentino per huius Ferdinandi legatũ habita, in qua oratione ampliſsimis verbis, tũc Imperatoris nomine, perfecta ac integra ſacramẽti euchariſtici, ſub vtraquẽ ſpecie, adminiſtratio poſtulata eſt. Vnde perfacilis eſt exiſtimandi copia, quis ſenſus animi, quæ voluntas & iudicium fuit Ferdinandi Imperatoris de ſacrilega hæc cœnæ dominicæ mutilatione per Romanã eccleſiam introducta, qua Chriſti populus altera parte diuinitus inſtitutæ cœnæ, non ſine manifeſto ſacrilegio fruſtrari ac defraudari ſolet. Nam alioqui ſi huius rei nulla ſeria cogitatio animum ipſius ſubiiſſet, quorſum opus erat miſſa ad concilium legatione? Addam & his inſuper quod ex literis grauiſsimi cuiuſdam ac eruditiſsimi viri, menſe Auguſto, perſcriptis intellexi: hunc ipſũ Ferdinandum haud multo ante mortẽ per omnes Imperii ſui ditiones cõceſsiſſe liberã cœnæ dominicæ, ſub vtroq; elemẽto cõmunionẽ. Quod ſi verũ ſit (nihil enim præter auditũ habeo) haud dubiũ eſt, quĩ qui hũc religionis næuum perſpexerit tam ſapienter, idem & cætera vlcera & deformitates pontificiæ ſuperſtitionis, quæ nihilominus & ipſæ reformationem deſiderabant, non ignoraret. Verũ hæc, quæ dixi hactenus, quoniã ad nos non valde attinẽt, illius permittamus iudicio, qui nec ignorãdo falli, nec iudicãdo errare poterit. Interim verò vt vt de religione illius ſẽtiamus, hæc certè celebritas

britas hodierno die in eius memoriã instituta, tãtusq; hic apparatus funebris, vsitato more, pro clariss. hoc imperatore, pulici causa obsequii cõstitut⁹, neq; nobis, neq; illo indignus videri debet. Atq; haud abs re quidẽ fuerit, si paucis de tota ratione huius instituti edisseram⁹, quo animis quorundã, quib⁹ fortasse huius negotii actio non satis probabitur, quoad fieri potest, satisfiat. Prospicio enim duo esse maximè hominũ genera, qui vt cõtrariis ipsi inter sese sentẽtiis diuellũtur, ita vtriq; à nobis in hac causa dissentiẽt. Alteri enim nõ satis: alteri contra plus nimio à nobis hic fieri cõtendẽt. Quibus vtrisq; seorsim ac ordine respondebimus. Ac priores quidem illi etiãsi nihil hic desiderare queãt, quod ad decus & magnificentiam attinere possit, at id tamen quod præcipuè, ipsorum iudicio, adesse conueniebat, ab esse causabuntur. Ferdinãdi impératoris magno cũ honore memoriam à nobis celebrari negare non possunt: at interim pro anima ipsius nullam fieri omnino precationẽ querẽtur. Quibus ego quidẽ in hunc modũ respõdeo, quòd cũ lucerna pedib⁹ nostris vnica sit verbũ dei: ad hãc regulã oculos nostros dirigamus oportebit, si in viis domini rectis velim⁹ ambulare. Sine hac vnica cynosura cæci errabim⁹, veluti in mari magno, ignari quà cursum dirigamus. Atqui in hoc ipso sacro dei verbo nusquam legemus nobis diuinitus præscriptum esse, vt pro salute precemur defunctorum, nisi fortè quis locũ arcessat Machabæorum. At hic protinus respondebit Hieronymus, qui hos quidẽ Machabæorum libros legi quidem ab ecclesia ad ædificationẽ plæbis permittit: cæterum eosdem inter canonicas scripturas nec recipiendos ab ecclesia, nec sufficere ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam diserte pronũciat, Secundo per vniuersum Scripturæ canonem, nullũ inuocationis pro defunctis exemplũ omnino extat,

Responsio ad quorundã, eo quod non oram⁹ pro mortuis.

Precatio pro defunctis scripturæ nullum præceptum nec exemplũ habet. Psal 19.

Hieron. in prefat. in lib. Solom.

Libri Machabæorũ quatenus recipiendi.

Et si enim in veteris testamenti libris patres antiquitus magno cum plãctu & honore sepultos fuisse cõstat, in signũ videlicet resurrectionis (id quod & apud nos fit) nunquã tamen preces ac orationes pro iisdem institutas legimus. Idem & in nouo testamento, de Stephano cæterisq; factũ legimus: quos non sine luctu consimili, sed sine precibus tamen, omnique prorsus inuocatione humatos fuisse per vtriusq; testamenti historias comperiemus. Et in veteri quidẽ testamento, vigente adhuc legis tẽpore, quũ tot sacrificiorũ et expiationũ formæ ac ritus, diluendis vel tenuissimarũ etiam offensionũ maculis fuerint institutæ: in tanta tamen illa tãq; multiplici sacrificiorũ varietate, nullũ vnquam in de mortuorũ expurgationem præscriptum aut cõstitutũ fuisse sacrificiũ apparet. Quod tamen si tam ad salutẽ necessariũ fuisset, quàm isti videri volunt, nunquã profecto tã alto fuisset silentio prætermissum. Itaq; si Iudas Machabæus prẽter legis iustitutũ aliud sacrificiũ, pro mortuis de suo inuexerit, quũ nihil eiusmodi in diuinis sãctionibus cõtineatur, addebat igitur legi, ac proinde iuxta legis sentẽtiã præuaricatus est in deũ, nihilo magis in eo imitãdus, quã Lothus aut Dauid, pii alioqui viri, in rebus perperã ab ipsis, ac secus quàm conueniebat, perpetratis, imitãdi sunt. Quin neque ipsemet porrò, quisquis est, autor huius historiæ, qui nouo exẽplo, præter omnem scripturarum autoritatem, inductũ hoc sacrificiorũ genus laudauit tantopere, magis fidem in eo meretur, quàm vbi & idem alibi, eadem in historia, quendam laudibus vehit, qui sibi ipsi mortem, contra aperta dei mãdata, cõsciuerit. Quid quod eadẽ hæc historia Machabæorũ in Græcis exemplaribus manu scriptis, præsertim, quæ vetustiora sunt, pro mortuis orandi mentionẽ nullã prorsus faciunt. Vnde suspitio haud leuis est, locum hunc Machabæorũ, multis post

Ad locum Machabæorum responsio.

2. Mac. 14.

secu-

ſeculis, à librario quopiam, recẽtiore additione aliqua corruptũ de induſtria ac deprauatum fuiſſe. Nam alioqui dubiũ non eſt, quin orandi iſta pro defunctis inſtitutio, ſi res tã ſalubris ac neceſſaria fuiſſet, quàm multi iis tẽporibus eã videri velint, certè nec autoritate neq; exemplis in diuinis literis caruiſſet. Nunc verò à ſcripturis repulſi (in quibus nullũ amplius ſupereſt ipſis aſylum) ſi ad doctorum & patrum autoritatem tanquam ad Aiacis ſeſe clypeum recipiant: primũ ita occurro: nullã humanã autoritatem tanti eſſe, vt per ſeſe ipſa in rebus fidei ac religionis ſufficiat. Atqui negari illud quidem non poteſt, poſt Gregorium primum, vt cæteræ complures religionis peſtes, ita & hæc maximè doctrina, de purgatorio & conſuetudo pro mortuorũ ſpiritibus orandi, nullis ſubnixa ſcripturis, ſed exapparitionum & viſionum ſpectris, cæteriſque id genus nugamentis cõcepta, tãquã ex primario fonte emanare primũ, latius deinde & copioſius diffluere, tãdem proximis aliquot ante nos ſeculis, pleno ſeſe alueo diffũdere & exundare iam cœpit. Atenim antiquiſsimi illi eccleſiæ doctores nullam prorſus harum næniarium ne mentionem quidem ingerunt. Etſi enim Chryſoſtomi & Ambroſii tẽporibus mentio fortaſsis aliqua orationũ pro mortuis iniiciatur, multo tamẽ diuerſum ea res ſenſum habet in illis, quã recentiores noſtri hodie ſophiſtæ quidam, nec literis nec linguis ſatis exculti, ex iis nũc colligere, vel ſõniare potius videãtur. Quippe nihil minus his ſanctis illis patribus in animo fuit, vbi mentionem pro defunctis orandi faciunt, quàm vt purgatoriam carnificinam, aut tertiam hanc, neſcio quam, ſedem ſtatuant, de qua omnis hæc nobis cum aduerſariis oritur cõtentio. Nam ſublata hac vna quæſtione de ſede purgatoria, iam nec Papa nec papiſtarum quiſquã eſt, qui lites nobis aliquas de orando pro mortuis

mouebit amplius. Quandoquidē ex hoc vno quasi fundamento omnis illorū & quæstus & disputatio pendet. Siquidē illud palam est, velutq; cunctis confessū, quòd si tertius nullus existat purgādi locus, corruit iam illico omnis pro mortuis orandi necessitas: propterea quòd qui in cœlis securi agūt, haud quicquā eo egent officio. Porro qui in inferos merguntur, iis inutilis omnis futura est prorsus oratio. Quamobrem de vtrisq; vt concludamus, quando illis nihil opus est, istis frustra est omnis illa pro defunctis orandi cura, quorsum igitur ea attineat profecto non video. Nam sancti illi patres quando pro mortuis orant, si de his intelligant, qui in cælo nec alibi vsquā sunt, hi cum hoc officio nihil indigeant, accipienda vtiq; hæc eorū oratio est vel pro gratiarū actione, vel ita alioqui, vt figurā ibi intelligamus rhetoricæ exornationis, stylíq; id fluentis vehementiæ tribuamus, potius quā solida iudicia ipsorum aut doctrinæ Christianæ fundamenta esse arbitremur. Exemplis res elucebit magis, quorum vnum aut alterum producere haud grauabor, sed ita vt ne lōgam hac in re disputationem instituere videar. D. Ambrosius in concione illa funebri in obitum Theodosij Imperatoris habita, cum multa atque egregia in laudes illius congerit, tum inter cætera virtutū præclara dignaq; excelso principe ornamenta, submissam in eo viro moderationem, ac spiritus humilem modestiam præcipuè admiratur. Quippe qui cum Imperator esset, non solū censuræ ecclesiasticæ sese submisit, & in ordinem inter pœnitentes redigi se passus est (propter cædem illā eius mandatu apud Thessalonicam perpetratam) verūetiam lachrimis vbertim effusis, quasi certis seriæ pœnitentiæ testibus, eius facti culpam mansuetissimus princeps deprecatus est. Id quod perpauci hodie vel priuati homines facere sustinerent. Et tamen hic idem Ambrosius

in pro-

in prōgreſſu eius concionis accuratè obnixeq; totus in eo elaborat, vt Theodoſium, qui tam ſanctè vixiſſet, quemq; tam ſerio pœnituiſſet, inter beatos adnumerandum eſſe perſuadeat, atq; euincat. Tum poſtremo idem de illo audacter in hanc ſententiam pronunciare non dubitat: fruitur nūc inquit, Auguſtæ memoriæ Theodoſius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro iis quæ in hoc geſsit corpore munerationis diuinæ fructibus gratulatur. Quæſo quibus ille verbis illuſtrius potuit, certiſsimè impreſſam animo ipſius de ſalute Theodoſii perſuaſionem ſignificare? idem tamen Ambroſius nihilominus, pauculis interiectis, in hunc perorat modum: Domine da requiem perfecto ſeruo tuo Theodoſio, requiem quam paraſti ſanctis tuis, &c. Primo, Theodoſium perfectum vocat. Atqui purgatorium confeſſum eſt, teſtantibus etiam aduerſariis, perfectorum ſedem non eſſe, ſed imperfectorum. Deinde quid erat neceſſe, cur pro Theodoſio interpellaret Ambroſius, quem ille iamdudum cœlo donatum, beata quiete perfrui, ac proinde à purgatorio immunem fuiſſe non dubitarat: cum locus ille ſupplicii eſſe, non præmii ab his etiam purgatoriologis noſtris confingatur. Conſtat igitur ex verbis his Ambroſianis nihil colligi neceſſario poſſe, quod iſtorum inſtitutum vel de purgatorio, vel de orando pro defunctis iuuet: Sed orationis potius effuſam quandam eſſe copiam atq; vbertatem oratoribus non inuſitatam, qui ſi quid ſuſceperint defendendum, in eo ſolent impendio eſſe vehementes, ac nonnunquam affectus exprimendi ſtudio, ita in aggerendo euehuntur, vt prius finem non faciant, quàm res de quibus agunt, in immenſum, quandoque ad hyperbolen vſq; efferatur. Conſimilis & huic dicendi figura ac emphaſis oratoria

apparet

apparet in Græca quadã liturgia, Chryſoſtomo (neſciõ an verè) inſcripta, vbi in hanc ſentẽtiam habetur: Præterea, inquit, offerimus tibi rationalem hunc cultũ pro omnibus in fide quieſcentibus maioribus, patribus, patriarchis, prophetis, & Apoſtolis, præconibus, & euangeliſtis, martyribus, cõfeſſoribus, continentibus, & omni ſpiritu in fide initiato, præcipuè pro ſanctiſsima, immaculata, ſuper oẽs benedicta domina noſtra deipara, et ſẽper virgine Maria, &c. Quid iis Chryſoſtomi dem⁹ verbis? An quia rationalẽ cultũ in ſacris myſteriis, pro patriarchis, pro Apoſtolis, adeoq; p beata virgine offerri prædicat, nos igitur patriarchas, Apoſtolos, atq; virginẽ ipſam in purgatorii clauſtra includemus? Abſurdũ profecto dictu. Intelligitis proinde hac oblatione haud aliud ſignificari, quàm gratiarum duntaxat actionem, cũ grata memoria piorũ omnium, tum eorũ vero maximè, quos maximè liquet in fidei confeſsione vera ac ſtabili hinc emigraſſe. Poterant & alii huius generis loci, magno numero ex doctorũ libris depromi, ſed hæc hactenus exẽpli cauſa, producta ſatis admonent, quid de cæteris doctorum patrum locis ſentiendum ſit, ex quibus falſo illi purgatorium ac orationes pro defunctis aſtruere conantur.

Reſponſio ad eos qui nullas omnino pompas funebres admittunt in eccleſia.

Sequitur nunc altera eorum obiectio multũ à ſuperioribus diuerſa, qui funebres hos ritus & apparatus, velut theatricos atque immodicos vitio nobis vertent, quaſi rem moliẽtib⁹ nec eccleſia dignã, nec temporib⁹ iſtis cõgruam, ſed ſuperſtitioni potius ex veteri papiſmo reuocãdæ aptiorẽ, calũniãtes. Verũ qui hæc obiectãt optarim ego iſtos, vt exẽplũ Iſraelitarũ in ſimultate inter ipſos & contribules quondam ſuborta, imitari velint. Hiſtoriæ notus eſt locus lib. Ioſuæ cap. 33. atq; in hunc ferè habet modũ: Rubenitæ, Gadditæ, dimidiáque tribus Manaſſe, ſimulatq; terram poſſeſsionis ſuæ diſtributim

Ioſuæ. 33.

ſtributim vnâ cum cæteris dotati tribubus vltra Iordanem fluuium accepiſſent, molem quandam, ad modum immenſi cuiuſdam altaris erexerunt. Id vbi reſcitum eſt reliquæ Iſraelitarum multitudini: Quid illi? Ex temere concepta falſaq; ſuſpitione, quam ſibi animorum errore finxerũt, indignati grauiter, copias contrahunt, bellum eis non ſolum intentant, ſed apertè etiam indicunt, miſsis felicialibus, qui vindictam denunciarent, quòd deſertores, velutq; apoſtatæ ac perduelliones, contra ius & fas, contra morem maiorum & religionem patriam, contraq; mandata dei, aràm ſibi nepharia audacia extruere ſint moliti, præter altare illud, q̃ ante tabernaculum domini, ipſius iuſſu cõſtitutum eſſet. Flagitiũ haud dubiè ingens, ſi modo fuiſſet verum quod ipſi opinabantur. At Rubenitæ cum Gadditis reliquaq; parte Manaſſe, habita pro ſui defenſione apologia, aduerſus ea, quæ impingebantur, claris & veris rationibus, addito inſuper iureiurando, ſeſe cauſámque tuebantur, docentes nihil in hac re eſſe, quam obrẽ Iſraelitæ fratres ſibi tantoperè ſuccenſerent, ſibi nunquam in mẽtem id veniſſe vt à patrio cultu vel pede diſcederent, nec vnquam eſſe diſceſſuros. Quod vero ad altare attinebat, ſi putarent id cultui ac ſacrificiis parari, vehementer ſe in eo errare & falli, cum id ipſis ne in cogitationẽ quidẽ aut mentẽ vnquá deſcenderit, tantũ in hoc erectam eſſe molem illam, vt pro termino quodam diſtinguendis vtriuſq; partis limitib⁹, quo videlicet ipſi atq; eorum poſteri fines & pomœria poſſeſsionũ ſuarũ à finitimis, dehinc perpetuo internoſcerent. Atque ita omnes ſuſpitionum offenſionumq; cauſas à ſe amouerunt. Accepta enim Rubenitarũ purgatione, Iſraelitæ pacatis iam animis, in priſtinam gratiam cum fratrib⁹ redeuntes, vnà cum ſuſpitione falſo concepta, arma ſimul illico depoſuerunt. Ad eundem modum, ſi qui for-

tasse hic adsunt, quibus nostra hæc actio tanquam superstitionis speciem nonnullam præseferens minus probatur, iisdem si ritè instituti nostri rationem intelligant, perfacile satisfactum iri planè confido. Primum hic missarum nullæ nugæ, nulla mortuorum neq; pro mortuis inuocatio, porro nec quicquam hic geritur, quod sanctissimo dei verbo non respondeat, veluti psalmorum decantatio, quã mox etiam excipit scripturarum lectio quæ & mortalitatis nostrę, & futuræ resurrectionis nobis memoriam refricent. Qua finita, sequitur demum doctrina & adhortatio apud populum, quibus in rebus quid tandem quæso designari potest, quod non ad amussim verbi cœlestis respondeat, quodq; non ad viuorum ędificationem, non ad defunctorum auxilium pertineat? Nam quæ residua sunt, quæq; Augustæ memoriçampliss. Imperatoris funebribus exequiis à nobis tribuuntur, haud quaquã ea & multis, & probatis omnium tẽporum ac ætatum, ipsiusq; adeò populi dei exẽplis carent. Spectatur & hic reuerẽtia illa atq; honor, qui magistratibus dei vices apud nos in terris obeuntibus debetur. Purgatorium ex actione hodierna nihil quicq; omnino lucratur: quin potius vulnus accipit, dum istarum rerum occasione contra purgatorii inanẽ fabulã contiones haberi subinde soleant. Iam quod ad regalem splendorem hunc, sumptusq; magnificentiam attinet, quam Reginea maiestas tã effusa manu, in hoc spectaculum impẽdere dignata est, nihil in eo maiestas ipsius non laude dignum facit. Quippe quæ & ipsa princeps cum sit, in tanti principis, imo Imperatoris (principum quodammodo terrenorum principis) funere exornando, nihil sibi nimium, ac ne magnum quidem esse existimauit: Quãdequidem præstito hoc officio, erga eum qui defunctus est, amicitiam Christianam cum iis qui viuunt principibus, benevolentiamq;

tiamq; mutuam ostendit pariter atq; souet. Postremo quòd istiusmodi in principes defunctos obsequia, dum modo ritè accommadatéq;, neq; aliis, quam quibus ipsi hic vtimur circumstantiis celebrẽtur: rectè et à nobis fieri, atq; à cæteris accipi queant, ex sacris colligi scripturis potest. Ieremias propheta ad Ioachimũ regẽ hæc habens verba: Pater (inquit) tuus nonne comedit & bibit, & fecit iuditium & iustitiã, & bene erat ei, &c? Mẽtem prophetæ paulo rimemur attentius: Nã quid tandem ille iis verbis edẽdi & bibendi voluit? Sine esu enim & potu certũ est, nullũ mortalẽ viuere diu posse. Vult igitur illud propheta innuere, ac si diceret: Pater tuus vir quidẽ optim⁹ Iosias edit & bibit, non ad necessitatẽ modo atq; naturam, sed ad hilaritatem etiam non nunquã, idemq; pro regiæ suę conditionis splẽdore atq; magnificẽtia, lautioribus quãdoqué conuiuiis ex occasione indulserat; sed ita tamẽ vt iudicii & iustitię interea obliuisceretur nunquã. Idolatriæ quippe monumenta euertit: In sacerdotes idolatras iusta animaduertit seueritate: Rectum cuiq; iuditiũ ex æquo distribuebat, oppressis viduis, & orphanis subueniẽs: Itaq; deo ꝑcharũ fuisse illũ ac gratũ propheta testat⁹ est. Cõsimili & nos ratione, si Iosiæ regis cæteras quidẽ virtutes et iustitiæ exẽpla imitabimur, certè externæ istæ actiones nostræ, quas subinde ciuilis fert vs⁹ atq; cõsuetudo vitæ huius, deo non displicebũt. Cõtra verò de impiis illis (quos auersatur domin⁹) principib⁹ audim⁹ rurs⁹, quid idẽ Ieremias iisdẽ è vita sublatis vsuuẽturũ minat⁹, id quod præsẽti etiã instituto nostro propi⁹ accedit. Et nõ prosequẽtur, inquit, eũ planctu dicentiũ, heu domine, heu nobilis: Sepultura asini sepeliet⁹ putrefactus & proiect⁹ extra portas Hierusalem. &c. Ex quo liquet nihil à nobis factũ esse in hoc regii obsequij genere, quod nõ diuinarũ literarũ autoritate & exẽplis liquido fulciat⁹. Iere. 22.

Nec interim quiſquã hic nobis obiiciat notatam in hoc principe religionis diuerſitatẽ, quæ qualiscũque fuerit, nihil tamen hiuſce facti noſtri rationẽ imminuit Ioſephus ad patris ſepulturam exequendã, Aegyptios quãuis à ſua alienos religione honoris tamen gratia, comites ſecum ducere non dubitauit. Principum ſanctiſsimus Dauid ad Hanon Amonitarum Regem honorificam habuit legationem, qua eum ſuper patris Nahæ morte conſolaretur. Ego verò cum Auguſtino idem omnino ſentio: vt nihil putem à Chriſtiani viri officio alienum eſſe, quod vel ad ædificationem, vel ad profectum fidei, aut charitatis incrementum quoquo conducat modo. Atqui huc ſanè non parum conferũt hæc ipſa quæ hodierno die, ſolenni hic ritu peraguntur meo quidem iudicio. Quæ cum non aliò ſpectant quã ad retinẽdum charitatis vinculum, ad officii rationem, ad Chriſtianam pacem, concordiam, ac amicitiam cũ nobiliſsimo potentiſsimoq; principe nobis vicino fouendam, atq; confirmandam: nõ debent profecto ab iis, quibus cordi eſt pacis & virtutis ſtudium, quæ Reginæ noſtræ ſumptib⁹ modo geruntur, non vehementer non probari. Atq; de his quidem hactenus.

Gene. 50.

2. Reg. 10.

Tertiũ et vltimũ diuiſionis caput.

Cõſequens eſt, vt ad illud quod tertio vltimoq; proponebatur loco, ſe nunc noſtra accingat oratio: nempe vt qua via ac modo ad mortem nos ita, vti Chriſtianos oporteat, parare debeamus, explicetur. Qua in re hoc paucioribus vtendum eſſe ſentio, quo plus mihi temporis in eorũ quæ præceſſerũt pertractatione effluxiſſe animaduerto. Atque ante omnia alia, imprimis pernecceſſaria res eſt, vt ad piè Chriſtianéque moriendum, pro ſuo quiſq; ſtudio atq; ſolicitudine oẽs ſe diligenter parẽt. Siquidẽ in eo ſũma fœlicitatis omnis planè cõſiſtit: diuino ſpiritu pronunciãte, beatos illos eſſe qui in domino moriuntur. Cæterum præparatio hæc, quã

Apoc. 14.

dico

dico, non ab humanis affectibus, aut conquisita aliqua nostri consilii opinione, sed ex certa stabilíq; diuinæ scripturæ persuasione petenda est. Permultæ hactenus à multis excogitatæ sunt rationes, quibus se ad supremũ vrgentis fati articulum præpararent. At deus bone quàm ineptæ atq; absurdæ fuerunt rationes illæ? Complures inuenti sunt, qui pontificiis indulgentiis ac diplomatis coemptis, eiisdemq; vnà cũ ipsis iam mortuis in sepulchrum congestis (quod & ipse his oculis vidi fieri) bene comparatos sese hac ratine aduersus mortis impetum, tutosq; aduersus seuerũ illud atq; inexorabile iudicii diuini prætorium existimarent. Quidam verò in missis frequentissimè post obitum iterandis, firmum sibi præsidium, velutq; viaticum quoddam certissimũ compararunt. Alii his etiam cautiores, non expectandas esse post mortem venturi solatii moras rati, durante adhuc atq; incolumi vita, Missas quanto maximè poterant numero, sibi ante obitum præmittẽdas censuerunt, quo sic purgatorii ardores prius extinguerẽt, quàm experirẽtur. Alios fuisse compertum est, atq; inter hos non indoctos etiam aliquot (quod sane magis dolendum est) qui franciscanorum aut dominicanorum cucullis imminente morte induti, atque in eisdem etiã postea insepulti, bene se hoc hoc pacto aduersus mortem, atq; omnes Cacadæmonum iniurias munitos arbitrarentur. Cæterum (proh dolor) prepostera hæc omnis erat nimisq; infirma & futilis, istorum parandi ratio, planéque ficulnea (quod aiunt) fuerunt præsidia, quæ in charta, cera, plumbo, Missis, tricenariis, aut in veste fraterculi posita, corã terribili seueroq; diuini iudicii tribunali consistere nequaquam valebunt. Hæc igitur atque his similia nugamenta, ex stulta ac euanida humani cerebri officina profecta, nulloq; diuini verbi subnixa firmamento, imo contra dei

verbũ inuenta, vim atq; gloriã crucis Christi obscurãt prorsus, aptioraq; sunt profecto quæ Gehennæ inflamment inextinguibilẽ caminũ, quã quæ purgatorii focũ qui nusquã est, extinguant. Interim verò quod ad nostros illos maiores attinet, quanq̃ negari non possit, & magno illos sapientiã præditos, nec minus etiã dignos laude multis in rebus fuisse, id tamen vehementer non dolere non possumus, in tam crassos errores, ac cæcæ adeò superstitionis tenebras pluſquã Cymerias, eos seductos fuisse, vitio quorundam, qui pretio venalem habentes religionem, docerent quæ non oportebat turpis lucri gratia: quemadmodum ad Titum suum scribẽs D. Paulus futurum verisime prænunciabat.

Optima bene moriẽdi ratio.

Quapropter vt rem ipsam in pauca conferamus (postulat enim breuitatem temporis iam exhausti ratio) vnica bene beatéq; moriendi disciplina est, vt vitam bene pieq; hic suam quisque tansigat. Perbreuis quidem præceptio, sed difficilis & longa obseruatio. Quamobrem non minus verè quàm argutè a D. Augustino in eandem ferè sententiam dictum est: Non potest, inquit ille, male mori, qui bene vixit: contráque vix potest ille mori bene, qui vixit non bene: vix inquit: Est enim immensum misericordiæ diuinæ & inexhaustum pelagus, cuius (vt ait propheta) non est finis. Noueratq; ille occultã & infinitã bonitatis illius amplitudinem, nouissimos etiam inter primos statuere posse, adeoque ipsa nouissima diei hora (vt Christi verbis vtar in parabola de operariis) vocare quos ipsi visum fuerit: hoc est, ad extremam vitæ vesperam impios ad salutem conuertere. Quemadmodum dominus ipse in latrone illo, suæ passionis tempore, manifesto declarauit exemplo. Verũ quũ non sit hæc vsitata, ac Regia, vt ita dicam, dei via, vt impiis omnibus in ipso mortis articulo gratiam suam impartiatur

nemo

nemo hac ſpe fretus, ſumat ſibi præſumendi fiduciam, ſed ita ſe quiſque comparet, vt vocatus ad gratiam & ſalutem Euangelii, voci ilico obtemperet Dei vocantis ac venire properet. Vocat enim Deus ſine diſcrimine vniuerſos, qui cunctos vult ſaluos fieri, & vocat ille quotidie, quoties per prędicationis miniſterium, verbum ipſius ad audiendum, vel ad legendum etiam nobis in libris proponitur. Sed ſubit interim monere charitatem veſtram: Quod modo admonuerim vitam bene actam atq; inſtitutam, optimũ eſſe præparationis modũ, ad bene beatéq; moriendũ, hoc non ita à me dictum quiſquam accipiat, ac ſi dignitatem & merita noſtrorum operum extollere ſtudeam: ſed cum vitam bene actam atq; inſtitutam dico, vniuerſa ſimul pietatis officia quæcunq; hominis ſunt Chriſtiani propria complector. Quæ cum vniuerſa in duabus præceptorum dei tabellis compræhenſa ſint, non eſt dubitandum, quin ea quæ prioris ſunt tabulę longe antecellant: Cuius generis ſunt imprimis fides Chriſtiana, vera dei cognitio, certa fiducia de diuina miſericordia per Chriſtum impetranda. Inde enim quicquid eſt in nobis bonorum operum, velut ex vberrimo fonte promanat: dei videlicet inuocatio, veteris hominis mortificandi ſtudium, mũdi huius contemptus, cęteraq; omnia pietatis ac miſericordię officia. De quib⁹ omittã in præſentia plura dicere, tum quia tẽporis excludor anguſtia, tũ quia in his ſingulis pertractãdis quotidianæ conciones accuratius fuſiuſq; haberi & antehac aſſueuerunt, et deinceps etiam pro noſtro in vos ſtudio atq; officio ſæpe habebuntur, opitulante nobis gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro clementiſsima pietate ſua nobis omnibus largiatur, vt peruigili cura atq; ſolicitudine ita ſuum quiſq; pectus per omnẽ vitã paret ac inſtruat, aduerſ⁹ ſupremũ mortis obeũdæ diẽ:

ac instruat aduersus supremũ mortis obeundæ diem: ne cum incertissimæ illius horæ certa ingruerit necessitas stertentes nos ac inopinãtes opprimat, sed sobrios potius reperiat, vigilantes, ac bene pręmunitos: quo sic finito huius vitæ cursu, læta hinc emigrantes conscientia compotes fœlicissimæ immortalitatis efficiamur, quam in Euangelio dominus promisit iis, quos ad expectatum occursum ipsius vigilantes paratosq; inuenerit. Quod diuina nobis largiatur benignitas, per vnigenitum charissimumq; filium ipsius, dominum nostrũ Iesũ Christũ, cui cum patre & spiritu sancto, sit omnis honor, gloria, & imperiũ in sæculorum omnium æternitatem. Amen, Amen.

Interfuerunt hyic concioni & funebri celebritati, Status & Ordines honoris gratia designati, qui funus, lugentium more prosequerentur Londini in Ecclesia D. Pauli Octobr. 3. 1564.

Ex praesulibus.

REuerendiss. Cantuar. Archiepiscopus, totius Angliæ primas, & Metropolitanus:
Episcopus Londoniensis, qui concionē habuit funebrem.
Episcopus Rossensis Regiæ Maiest. supremus Eleemosynarius.
Decanus Ecclesiæ D. Pauli, cum Capitulo ac reliqua eius Collegij sodalitate.

Ex Proceribus.

Dominus Vvilelmus Marchio Vvinton. Magnus Angliæ Thesaurarius, ex hoc numero pullatorū primus.
Dominus Tho. Comes Sussex locūtenens Reginæ in Regno Hiberniæ, Capitaneus Pensionariorum, ex hoc numero secundus.
Henricus dominus Hastings, Comes Huntingtoniæ, tertius.
Henricus dominus Strange Comitis Darbiensis filius primogenitus, ac hæres, quartus.
Henricus Dominus Harberte de Cardiff comitis Penbrochiensis primogenitus ac hæres, quintus.

Henricus dominus Darley primogenitus ac hæres Comitis Lenex, sextus.

Iohannes dominus Lumley gener comitis Arundellensis, septimus.

Henricus Carew Eques ordinis Garterii, Dominus Hunsdō, Reginæ consobrinus.

Ex Equestri ordine.

Edvardus Rogers EQVES AVRA. Regiæ familiæ Contrarotulator, nonus.

Franciscus Knolles EQV. AVR. Reg. Maiest Vicecubicularius, decimus.

Guilelmus Cecill EQV. AVR. primarius Reg. Maiest. Secretarius, vndecimus.

Richardus Sackuile EQV. fisci Regij subthesaurarius, duodecimus.

Nicolaus Throkmorton. EQV. fisci Regij Camerarius, decimus tertius.

Georgius Haward EQV. Armario Regij præfectus, decimus quartus.

¶ Hos consequitur magnus Nobilium numerus.

Aderat & Vrbis Lond. Præfectus (MAIOREM vocamus) vna cum Senatoribus, & maxima ciuium frequentia.

BIBL. CANT. ACAD.

Excusum Londini, per Foan. Dayum, Typographum.

Cum Priuilegio.

An. 1564.

BIBL. CANT. ACAD.